



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XLV. Sententia Aristotelis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

¶ nullam discontinuationem; sed duplex esse centrum, alterum magnitudinis, alterum motus in rotâ, & rotam frequenter mutare centrum motus: sicque aiunt puncta circuli minoris sæpè retrogredi ad loca quæ reliquerant, & hoc modo frequenter eundo & redeundo tantum, inquit, conficiunt spatij, quantum puncta circuli majoris.

VII. Rejicitur hæc responsio.

¶ Quoties punctum, ut in minoris circuli mutat centrum motus, mutare etiam centrum debet punctum illi correspondens in majori.

VIII. Impugnatur ulterius hæc solutio in motu sphaerarum celestium.

Sed contra primò, jam enim dicuntur puncta minoris circuli æquè celeriter moveri, ac puncta majoris, quod tamen & ab omnibus negatur, & ipsis sensibus patere videtur esse manifestè falsum. Contrà secundò, esto aliud sit centrum magnitudinis, nempe punctum planè in medio rotæ, aliud centrum motus, nempe punctum illud rotæ quod motis cæteris non movetur, nunquam tamen retrogreditur, punctum circuli minoris, nec mutat centrum motus, nisi simul retrogrediatur punctum illi correspondens in majori circulo, & mutet etiam centrum motus, cum eandem semper cum eo correspondentiam fervet, & æqualiter semper distent: ergo non potest regredi punctum circuli minoris, dum progreditur punctum circuli majoris, nisi fiat discontinuatio: ergo non potest punctum circuli minoris conficere tantum spatium, ac punctum ipsi correspondens in circulo majori, cum quotquot anfractus & deflexiones ex priori centro faciat punctum minoris circuli, easdem deflexiones & deviationes faciat punctum majoris: ergo quantum propter has deviationes crescit circuitus motus circuli minoris, crescit etiam circuitus majoris; pari enim quoad hoc, passu procedunt, nec crebrius redeunt ad suum locum puncta minoris circuli, quam puncta majoris ad suum.

Contrà tertio, supponit hæc solutio debere aliquantum laxè aptari rotam axi, ut tantillum saltem spatij relinquatur, licet vel unicum punctum spatij ad hoc dicatur sufficere. Sed contra hoc est, nam superficies concava unius Cæli tardius movetur quam convexa ejusdem, & tamen ibi nulla est vel minima vacuitas, nec colliduntur inter se cæli, nec se invicem concutunt, ut volunt hi auctores rotam semper pulsare axem. Contrà quartò, dicunt omnes duos polos Arcticum scilicet & Antarcticum esse

duo puncta omnino immota, quæ nec tantillum loco moveantur: capiamus ergo circulum aliquem 20. palmorum, qui est circa polum Arcticum in primo mobili, & alium circulum in eodem cælo qui longius distet à polo, sicque in circumferentiâ 100. palmorum, quique priorem circulum in se complectatur, & undique circumdet: in hoc casu puncta minoris circuli non mutant centrum motus, sed semper æqualiter distant à centro suo, nempe à polo, qui semper est centrum motus, cum nunquam loco moveatur.

Quintò, saltem potest angelus ita rotam movere, ut idem semper sit centrum magnitudinis, & motus: sed quidquid sit de hoc, notandum, ut supra diximus, semper quando mutatur centrum motus puncti inferioris circuli, mutari etiam centrum motus puncti illi correspondentis in superiori, quod si notetur, semper in suo vigore persistit difficultas.

Sextò, ponamus pyramidem ex ferro continuum erigi in magnam altitudinem, ita tamen ut in summitate ad aliquot ulnas sit tenuis (eadem penè est difficultas in arbore, dum summitas movetur immoto trunco, vel saltem longè magis quam truncus) summitas illius pyramidis flectetur hinc inde, & aggitabitur vento, & puncta quò altiora, eò per majus spatium movebuntur: hic autem non potest adhiberi prior solutio, cum non sit motus circularis: sed planè in sua vi persistat argumentum supra positum: ut consideranti patebit.

In sententiâ autem Aristotelis non ita urget argumentum de motu: propterea enim velocius currit equus quam testudo, quod æquali spatio temporis producat vehementiorem motum, & longius spatium percurrat, quam testudo; ita ut si testudo producat motum ut unum, vel centesimam partem primi gradus, equus producat motum ut sex, & consequenter feratur eodem tempore per spatium centuplo longius, quam feratur testudo. Alia multa proponi hic possent contra sententiam Zenonis, sed hæc sufficiant ut ostendatur suas illam habere difficultates, easque inextricabiles. Nunc ad Aristotelis sententiam pergamus.

IX. Saltem Angelus ita movere potest rotam, ut non mutantur centra motus.

X. Efficaciter impugnatur solutio illa de mutatione centri motus.

XI. Peripatetici se ab hac difficultate multo facilius expediunt.

DISPUTATIO XLV.

Sententia Aristotelis.

SECTIO PRIMA.

Præfertur opinio asserens continuum componi ex partibus & punctis.

I. Componitur continuum ex partibus & punctis.

Asserit ergo Aristoteles continuum omne componi ex partibus & punctis. Hanc etiam sententiam sequitur D. Thomas & Peripatetici communiter. videtur etiam expressa mens S. Augustini tom. 1. l. de quiet. animæ, in fine cap. 11. & initio 12. ubi expressè docet punctum esse copulationem partium, & per ipsum dividi lineam; unde apertè ponit in lineâ partes divisibiles, & puncta indivisibilia. Hanc sententiam eruditè, ut alia omnia, explicat P. Suarez d. 40. Met. sect. 5. num. 35. acriter etiam eandem propugnat P. Hurt. d. 15. Phy. f. 5. subf. 2. nu. 88. eandem tenent Conimbr. l. 6. c. 2. q. 2. a. 2. Murcia hic l. 6. d. 1. q. 5. §. Dico secundo, Ruvi. l. 6. Phy. tr. de continuo n. 40. & alij.

R. P. Th. Comptoni Philosophia,

Probat Aristoteles; quia indivisibile additum indivisibili non facit majus: Probatur, nam indivisibile consequens immediatè alterum debet illud tangere secundum se totum, ergo illa duo indivisibilia se additum tangunt adæquatè, ergo unum non est extra locum alterius, ergo duo non occupant majorem locum, non facit unum, ergo non faciunt majus.

Vis hujus argumenti fundatur in aliâ doctrinâ Aristotelis, nempe illa se tangere, quorum extrema sunt simul, nempe intimè penetrata seu simul loco. Et saltem si hoc principium probari efficaciter posset, convinceret evidenter argumentum non posse indivisibile additum indivisibili facere majus, tunc enim aliquid utriusque indivisibilis, ut se tangant, deberet secundum aliquid penetrari, sed in ijs non est aliquid & aliquid, ergo totum debet penetrari, ergo non occupant majorem locum.

Ad hoc Argumentum qui maximè probabiliter respondent, distinguunt duplicem contactum, penetrativum & consecutivum: ad contactum ergo penetrativum requiri aiunt penetrationem, non

II. Probatur A. quia indivisibile additum indivisibili non facit majus.

III. Illa se tangere, quorum extrema sunt simul, quorum extrema sunt simul.

IV. Contactus duplex: penetrativus, & consecutivus.

sic ad consecutivum, sed ad hoc sufficere aiunt, quod ita duo invicem consequantur ut nihil mediet: hunc autem contactum dicunt sufficere ad constituendum continuum.

V.
Præcipua
probatio
huius sen-
tentia est
impugnatio
sententia
Zenonis.

Præcipua ergo probatio huius sententia sumitur ex Argumentis quæ supra Disp. præcedente proposuimus contra sententiam Zenonis præsertim ex argumento illo de motu, de 4. punctis in quadrum digestis, de Pyramide, & alijs nonnullis quorum quædam licet nonnihil etiam urgeant contra hanc sententiam, longè tamen maiorem vim habent contra contrariam.

SECTIO II.

Prænotantur quædam circa partes continui.

I.
Duplex series
partium
in continuo.

Partes deter-
minatae,
seu aliquotæ.

II.
Partes inde-
terminatae,
proportiona-
les, seu com-
municantes.

Cur vocen-
tur inde-
terminatae.

III.
Quomodo
partes inde-
terminatae
differant à
sua deter-
minata.

IV.

Quæ partes
sunt propriæ
& in rigore
communi-
cantes.

ANtequam argumenta contra hanc sententiam proponamus, Notandum primò, in sententia Aristotelis partes continui esse in duplici differentiâ: aliæ enim sunt partes determinatæ, seu aliquotæ, nempe illæ quæ in continuo ita habent certam magnitudinem, ut comparatæ ad alias partes similes quas non includunt, sint æqualis cum ijs magnitudinis. Sic in ulna, sunt quatuor palmi, quorum quivis est alteri par, & eum nec inadæquatè includit, sed adæquatè ab eo distinguitur.

Aliæ sunt partes in continuo quæ vocantur indeterminatæ, proportionales, & communicantes (licet non in sensu strictissimo, de quo postea) quia scilicet proportionem quadam in illas secatur, ac dividitur quantitas aliqua determinata: ut palmus dividitur in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmarum, & sic deinceps: licet hæ partes inter se comparatæ sint determinatæ, & aliquotæ, nam à se sunt adæquatè distinctæ: vocantur autem indeterminatæ, quia nullum habent certum parvitas terminum, sed quacumque minimâ parte assignatâ, etiam à Deo, potest adhuc divisio in minores & minores accipi, & assignari in infinitum. Verè tamen sunt in entitate determinatæ, & constituunt aliquid determinatum.

Notandum secundò, has partes indeterminatas, proportionales, & communicantes, si sumantur collectivè, nec inadæquatè distingui à parte suâ determinatâ utpotè quam adæquatè constituunt. Si autem pars quævis indeterminata sumatur divisivè, distinguitur à parte determinatâ, à quâ sumitur, non simpliciter, sed secundum quid, seu tanquam inclusum ab includente, quæ minima videtur distinctio realis, cum non adæquatè, sed secundum alteram tantum partem distinguatur includens ab incluso, ut dictum est in Logica.

Partes autem propriæ, & in rigore communicantes, & proportionales, de quibus in præsentî potissimum est sermo, sunt eæ, quæ non solum communicant cum toto, id est, entitatem suam ab illo communicant, & accipiunt, sed etiam communicant inter se, ita ut una semper includat partem alterius, sicque entitatem suam partim ab illâ communicat. Hoc modo in una ulnâ viginti aut etiam centum, & mille palmi sunt inclusi, non tamen adæquatè inter se distincti, sed ita ut pars uniuscuiusque palmi includatur in alio, ut in figurâ hic expressâ clarè cernitur, non tamen propterea potest ulna dici 20. aut centum palmarum simpliciter, sed solum secundum quid.



Unde manifesta est æquivocatio, cum dicitur se- qui in continuo esse infinitas partes simpliciter: sic- ut enim in unâ ulnâ non sunt 20. aut 100. palmi sim- pliciter, licet sint 100. palmi communicantes, & pro- portionales, idque in omni sententiâ: ita nec in con- tinuo sunt infinitæ partes simpliciter, sed solum se- cundum quid: nec magis posset quis dicere conti- nuum habere infinitas partes simpliciter, quàm ul- nam habere centum aut mille palmos simpliciter: Quod tamen nemo diceret, licet negare nullus pos- set ulnam habere centum, aut mille palmos, propor- tionales, secundum quid, & se invicem ex parte in- cludentes.

Si quis verò urgeat: saltem partes proportionales sunt infinitæ simpliciter ut proportionales, perinde est atque si quis diceret infinitum secundum quid in quantum infinitum secundum quid, est infinitum simpliciter: aut si quis diceret ulna habet 100. pal- mos simpliciter, quia habet 100. palmos proportio- nales, seu inter se communicantes. Ratio autem ho- rum omnium est, quia partes huiusmodi propor- tionales & communicantes non sunt simpliciter par- tes, nec simpliciter distinctæ, sed solum secundum quid, ac proinde nec simpliciter infinitæ sed solum secundum quid, non enim perfectius esse possunt infinitæ, quàm distinctæ, dicere autem esse simplici- ter partes infinitas proportionales, est, ut dixi, im- plicatio in terminis, cum pars proportionalis sit so- lum pars secundum quid.

SECTIO III.

Argumenta contra opinionem Aristotelis de continuo.

Objicies primò: ex hac opinione sequi lineam trium palmarum nunquam posse pertransiri. Probatur, sunt in eâ infinita puncta, & infinitæ par- tes, ergo nunquam poterunt transiri. Resp. primò, li- cèt concedatur inclusa esse infinita puncta, & par- tes in illâ lineâ, adhuc posse pertransiri, cum in mo- tu, & tempore, quo transiit linea illa, sint similiter infinita puncta, & partes, infinitum autem ab infiniti- to exhaustiri nil vetat. Resp. secundò, negando seque- lam: ad probationem dico, non esse in lineâ illâ infi- nitas partes simpliciter, sed solum secundum quid, & proportionales, seu invicem communicantes, sic- ut etiam in lineâ trium palmarum sunt centum pal- mi secundum quid, seu proportionales, & commu- nicantes, non tamen propterea sunt 100. palmi sim- pliciter: tunc autem solum est aliquid censendum in- finitum, & non posse transiri finito, quando habet infinitas partes simpliciter, seu non se invicem par- tialiter includentes.

Unde dicimus in illâ lineâ solum sed esse infinitas partes proportionales syncategorematicè, non cate- gorematicè, non quod non omnes illæ partes exi- stant, sed quod non adæquatè, & simpliciter inter se distinguantur, sed tantum secundum quid, quia u- na semper includitur partialiter in aliâ. Cum ergo eo modo sunt partes quo distinguantur, & distin- guantur solum secundum quid, sunt etiam partes, & infinitæ solum secundum quid.

Objicies secundò: sequi in continuo non solum esse infinitas partes proportionales, & communican- tes, sed etiam determinatas, & æquales, adæquatè inter se distinctas. Probatur sequela, dividatur ulna in duas medietates, illæ singulæ in duos palmos, ita ut jam sint quatuor palmi distincti in universum: hi deinde dividantur in 8. semipalmos, semipalmi po- stea in sexdecim medietates semipalmarum, & sic

V.
Hinc clarè
soluitur quo
modo non sunt
infinitæ par-
tes simplici-
ter in conti-
nuo, sed se-
cundum quid.

VI.
Dicere par-
tes propor-
tionales, ut
proportiona-
les esse infi-
nitæ, est im-
plicatio in
terminis.

I.
Obj. sequi
lineam trium
palmarum
nunquam
posse pertran-
siri.

II.
Ducimus
modis osten-
ditur lineam
illam pertran-
siri posse.

III.
In illâ lineâ
tantum sunt
infinitæ par-
tes syncate-
gorematicæ.

Obj. sequi
esse in conti-
nuo infinitas
partes equa-
les, & deter-
minatas.

in infinitum, ergo sunt in continuo infinitae partes aequales.

IV. Resp. nunquam designari posse partem aliquam in ulnâ talis magnitudinis, quantumcumque sit minuta, cui infinitae in eâ aequales assignari possint, & omnino similis magnitudinis. Si autem daretur infinitum aliquid à parte rei, posset Angelus, signatâ aliquâ mensurâ, ut palmo, uncia, vel ulnâ, dicere, hic sunt infinitae partes huic aequales, quod non potest fieri in palmo, vel ulnâ quantitatis, nec enim potest Angelus assignare partem ullam quantumvis minimam, & dicere sunt hic infinitae partes huic aequales, quod tamen ad rationem infiniti est necessarium. Quod verò assignari possint plures, & plures divisiones in infinitum, solum arguit infinitudinem syncategorematicam: ad categorematicam enim infinitudinem ulterius requiritur, ut signari possit pars certae magnitudinis, & dici esse ibi infinitas alias aequales cum eâ magnitudinis.

V. Obijcies tertio: vel omni parte continui dari potest minor, vel non potest: si primum, ergo illa pars est indivisibilis, cum in minores dividi nequeat; si secundum, ergo aliqua pars est in continuo indivisibilis, illa scilicet, quâ minor dari nequit. Resp. si partes sumantur divisivè, nulla est, quâ minor dari non possit, cum, quacunque assignatâ, seu determinatè sumptâ, dari possit minor. Si verò partes sumantur collectivè, est implicatio in terminis ut detur pars aliqua minor omni parte in continuo, sic enim esset minor seipsâ, cum illa intra collectionem omnium contineatur.

VI. Obijcies quarto: potest continuum dividi in omnes partes, in quas potest dividi, seu in quas est divisibile, hæc enim sunt synonyma, ergo vel illae partes sunt adhuc divisibiles, vel non: si secundum, ergo continuum componitur ex indivisibilibus; si primum, ergo non est divisum in omnes partes, in quas est divisibile. Resp. distinguendo antecedens, potest continuum dividi in omnes partes, in quas potest dividi, eo modo quo potest, seu in quascunque partes determinatas, concedo antecedens; alio modo, seu in omnes proportionales, & communicantes, nego, in has enim omnes dividi simul non potest, sed tantum syncategorematicè, seu nunquam in tot, quin in plures & plures dividi possit in infinitum.

VII. Obijcies quinto: sequi meritum actûs alicujus supernaturalis durantis per horam, fore simpliciter infinitum, & consequenter præmium similiter eidem correspondens fore infinitum, nam in quolibet instante meretur, cum in quolibet possit desistere ab actione, ergo liberè eam continuat, sed sunt instantia infinita simpliciter, ergo etiam meritum & præmium infinita simpliciter. Hoc argumentum Theologicum est, & discuti solet secunda secundæ, in materiâ de charitatè, dum de illius augmento. Resp. tamen nec præmium illud nec meritum fore simpliciter finitum, sed infinitum, & limitatum. Ad probationem dico duplex quasi illis esse meritum conformentem tempori, in quo exercetur, determinatum scilicet, & proportionale: temporis ergo determinatum correspondet determinatum meritum, & determinatum merito præmium similiter determinatum, temporis autem proportionali correspondet meritum proportionale tantum, & huic præmium similiter proportionale.

VIII. Solum ergo est novum meritum pro instantibus correspondentibus partibus determinatis, quæ simpliciter sunt finita, sicut partes ipsæ quibus correspondent. Aliud tamen meritum non distinguitur ab hoc, sicut supra diximus partes proportionales, si collectivè sumantur, non distingui à determinatis,

sed in harum singulis infinitas proportionales includi. Tantum itaque arguitur meritum illud, & præmium fore infinita proportionaliter, ut ita dicam, & secundum quid, seu secundum partes proportionales, sicut & tempus ipsum, cui correspondent, est infinitum secundum quid: simpliciter autem & meritum, & præmium erunt finita, sicut partes determinatæ illius temporis, & consequenter puncta determinata illis correspondentia sunt solum finita.

Obijcies sexto: sumamus primum indivisibile in palmo ligni, verbi causâ, inter hoc punctum, & reliqua omnia quid mediat? non punctum quia sumamus ex aliâ parte omnia alia indivisibilia præter primum: non etiam mediat pars, illa enim, si sit pars est divisibilis, ergo habet sua puncta continuativa, ergo pars mediare nequit inter primum indivisibile, & omnia alia: ergo continuum componi non potest ex partibus & punctis.

Resp. negando suppositum, nempe ita sumi posse primum indivisibile ab unâ parte, & omnia alia, seu totam collectionem cæterorum ab aliâ. Cum enim puncta hæc sint continuativa partium proportionalium, nunquam ita sumi possunt seorsum, ut non semper includantur puncta prius & prius in infinitum in partibus proportionalibus. Unde non potest assignari, nec à Deo pars illa indeterminata seu proportionalis quæ mediet inter primum indivisibile, & omnia alia, cum nulla sit, quæ non plura in se & plura involvat indivisibilia in infinitum.

SECTIO IV.

Præcipua difficultas in opinione Aristotelis.

Obijcies septimo: in tempore necessario sequi instans post instans, seu indivisibile post indivisibile, ergo & in continuo permanente punctum sequi immediatè post punctum. Antecedens probatur, non potest existere pars immediatè post instans, pars enim est essentialiter successiva, ergo habet in se præsens, præteritum, & futurum, sed post instans non potest sequi immediatè præsens, præteritum, & futurum, ergo.

Ad argumentum respondet P. Hurt. l. 5. nu. 75. & 80. verum quidem esse nullam partem determinatam posse esse totam simul, sicut nec pars determinata continui permanentis potest penetrari cum aliâ parte determinata: at verò, inquit, partes indeterminatæ & proportionales temporis possunt coexistere simul, & uniri per instans, quod cum utraque penetraretur, & utrique parti inadæquatè coexistat: sicut etiam, secundum ipsum, partes proportionales continui permanentis possunt penetrari quoad locum, & punctum penetrari cum utraque inadæquatè.

At certè hæc doctrina admodum videtur difficilis: primò, quia inadæquatum quod tangit, & quicum penetratur punctum illud, est aliquid illius partitis, ergo est divisibile, cum nihil sit realiter identificatum cum parte, quod non sit pars, & divisibile, ergo occupat locum extensum, ergo nec inadæquatè potest punctum penetrari cum parte, quantumcumque dicatur penetrari cum minori & minori parte in infinitum, semper enim est pars, quantumvis parva, ergo major puncto.

Secundò, vel penetratur punctum cum totâ entitate reali illius partis, vel non: si ita, ergo est in loco divisibili sicut pars; si non, ergo eadem entitas realis penetratur cum puncto, & non penetratur, ergo major puncto.

IX.

Obij. inter primum punctum, & reliqua omnia, quid mediat?

X.

Resp. non posse hoc modo sumi primum punctum ab una parte, & totam collectionem ab aliâ.

I.

Difficultas in continuo circa compositionem temporis.

II.

Dicunt alii qui posse partes proportionales continui inter se inadæquatè penetrari.

III.

Contra primò: implicat punctum penetrari inadæquatè cum parte.

IV.

Secundò, sequitur indivisibile esse in loco divisibili.

le ab hujus sententiæ Autoribus negantur præcisiones per intellectum, cum concedant reales.

V. *Sequitur ulterius vel punctum penetrari adæquatè cum parte, vel idem realiter penetrari, & non penetrari.*
Dices; pars est in infinitum divisibilis, ergo potest cum eâ inadæquatè penetrari punctum. Contrâ, vel id omne cum quo non penetratur punctum, est realiter distinctum à parte illâ, vel non; si sit, ergo adæquatè penetratur punctum cum illâ parte, cum nihil realiter identificatum cum ea relinquit non penetratum; si omne, cum quo non penetratur punctum illud, non sit distinctum ab eâ parte, ergo non penetratur cum toto eo quod est realiter identificatum cum illâ, ergo tam præscindit punctum illud realiter, quàm intellectus præscindit intentionaliter, dum concipit animal, non concepto rationali. Confit. si intellectus conciperet aliquid realiter identificatum cum illâ parte, non concepto alio, præscinderet intentionaliter, sed punctum facit hoc physicè, ergo præscindit Physicè.

VI. *Non magis concipi potest indivisibile identificatè cum parte, quàm hincivisibile cum homine.*
Tertio: quia nec mente concipi potest aliquid realiter identificatum cum parte, quod sit indivisibile, non magis quàm concipi potest hincivisibile in homine, actus enim præscindens, ut in Logicâ dictum est, non concipit in re id quod non est, sed solum concipit inadæquatè id quod est. Dices; quidni concipi poterit aliquid indivisibile in parte, conceptu inadæquato, sicut conceptu inadæquato concipitur animal in homine, non conceptu rationali? Contrâ, si animal non esset in homine, non posset in eo concipi actu præcisivo, sicut non potest in eo concipi hincivisibile, ergo cum nihil indivisibile sit in parte, non potest ullo actu præcisivo ibi cum veritate concipi, ergo non potest punctum cum illâ penetrari, cum revera ibi non sit quidquam indivisibile.

VII. *Sequitur instans temporis esse quid successivum.*
Quarto: in partibus temporis hoc nullo modo dici potest, nulla enim est pars temporis, non formaliter successiva secundum ultimum sui, & extensa secundum tempus, ergo quantumcumque minimæ parti temporis, etiam inadæquatè coexistat, & cum illâ penetratur punctum, debet habere aliquam successionem, ergo est quid divisibile. Dices; sicut duo Angeli penetrari possunt in medio gymnasij, & non in extremis, ita hæc partes proportionales inter se, & cū puncto. Contrâ, non clara disparitas inter duos illos Angelos, & partes proportionales, nam Angeli illi penetrantur adæquatè quoad rem, totus enim unus Angelus penetratur cum toto alio, licet non penetratur cum illo in omni loco, seu ubicunque est: in præsentia autem dicuntur partes illæ proportionales penetrari inadæquatè quoad rem ipsam, ergo non debet tota realitas illius partis penetrari cum totâ realitate alterius, cujus tamen contrarium contingit in duobus Angelis, ut supra dictum est.

VIII. *Quo modo pars temporis dici possit præsens, præterita, & futura.*
Resp. ergo aliter posset partem in continuo successivo, seu tempore (idem est suo modo de continuo permanente) sequi post punctum, non tamen inde sequitur fore simul præsens, præteritum, & futurum, cum nihil illius partis sit simul, successivè tamen illa pars, quæ prius erat futura, redditur præterita, & suo modo præsens, cum nihil dici possit esse præteritum, seu fuisse, nisi ob existentiam præsentem, quam aliquando habuit, ergo hæc pars etiam aliquando fuit suo modo præsens, nempe eo modo, quo res successivæ possunt esse præsentem, non tamè ita ut propriè possit dici jam est, cum in parte temporis non sit jam, seu instans.

IX. *Tempus non est propriè continuum.*
Dices primò; si hoc modo instans interjiciatur inter partes, & non sit in illis, ergo non potest ipsas unire, & consequenter tempus non erit unum per se: quod eò magis urget, quia instans nunquam est quando sunt partes. Resp. cum P. Suar. citato, tempus non esse propriè continuum, sed solum hoc sensu, quod partes tali ordine se sequantur, intermixtis

punctis, & in ipsis etiam fortè punctis elucet aliqua diversitas, inter puncta terminativa, & continuativa nempe quod hæc petant aliam partem sequi, non illa.

X. *In continuo sit subjectum unionum continuæ.*
In continuo ergo uniones non possunt tam propriè dici modi, cum non intimè afficiant sua subiecta denominationis, quemadmodum unio Physica uniones non possunt propriè dici modi.
informationis afficit corpus & animam, sed solum hoc sensu sunt modi, quod petant sequi has partes potius quàm alias, & sic peculiari modo connectunt has partes inter se: & hoc est esse modos continui, ubi potest nexus esse consecutivè post partes, hæc enim est differentia inter conjunctionem partium informationis, & partium continuationis, quod illa petat unionem per intimam præsentiam, hæc tantum per consecutionem.

XI. *Quodnam sit subjectum unionum continuæ.*
Dices secundò, non posse assignari subjectum horum indivisibilium, si non subiectentur in aliqua parte, subiectari autem in parte non possunt, nisi sint illi intimè penetrata. Resp. ut supra, indivisibilia accidentium subiectari, & educi è potentia indivisibilium quantitatis vel materiæ, indivisibilia autem materiæ sunt in nullo subiecto sustentationis, sed creantur à Deo, ut Autore naturæ, quotiescunque duæ partes separatæ continuantur.

XII. *Obij, seu indivisibile facere majus.*
Dices tertio; & est præcipua difficultas hinc sequi indivisibile facere majus, nam est extra locum partitis, ergo aliquo modo extendit continuum, nam pars & punctum latius extenduntur, quàm pars sola, ergo indivisibile facit majus. Dici posset indivisibile non facere majus simpliciter, sed solum secundum quid, & ut quo, ac indivisibiliter. Quod exinde confirmatur, quia idem est munus indivisibilium intentionis in partibus quantitatis, & indivisibilium extensionis in partibus quantitatis, sed indivisibilia intentionis non faciunt qualitatem, calorem v.g. vel albedinem, magis intensam, ergo nec puncta extensionis quantitatem faciunt magis extensam, nisi solum secundum quid & ut quo.

XIII. *Indivisibilia sunt extra partes.*
Et sanè videtur hæc expressa sententia Aristotelis, nempe indivisibilia esse extra partes, nam affirmat ipse, si duæ tabulæ se tangent, penetratum iri earum superficies, non tamen dicit partes ulla se penetraturas, quantumcumque minores, & minores in infinitum, sed solas superficies, ergo non censet superficies penetrari, vel esse in eodem loco cum ullâ parte, etiam inadæquatè, sic enim si superficies inter se penetrarentur, deberent etiam partes aliqua penetrari, quod nunquam affirmat Aristoteles.

XIV. *Quæres, an duo puncta possint immixta facere majus.*
Dices; ergo si ponerentur immediatè, & consecutivè duo puncta, seu indivisibilia non facerent extensionem, quod tamen videtur contra omnem rationem, nam duo occuparent majorem locum quàm unum tantum, ergo facerent extensionem. Resp. primò, negando suppositum, posso scilicet duo indivisibilia poni immediatè consequenter: cum enim de facto partes spatij imaginarij componentur ex partibus & punctis, si duo indivisibilia collocarentur immediatè, alterum penetraretur inadæquatè cum parte spatij imaginarij, sicque redeunt omnes difficultates superius factæ contra sententiam P. Hurt. Secundò, dico in eo casu impossibili duo illa puncta facerent majus, & non facerent: facerent, ut supponitur: non facerent, quia cum sint indivisibilia, solum facerent majus indivisibiliter, & secundum quid, ac modo sibi proportionato: sicut de indivisibilibus intensiois proximè dictum est, facere scilicet intensioem secundum quid tantum, & ut quo, idque quantumvis sint intimè penetrata, & unita eidem subiecto.

XV. *ni*
Alia est opinio de continuo, quæ scilicet compo-

ni illud asserit ex punctis crassis, ut vocant, seu in-
flatis, & virtualiter divisibilibus: in qua argu-
menta, saltem Mathematica satis clare dissolvun-

tur, sed quia necdum illius probabilitas est mihi
planè explorata, tum alias ob causas, plura hic de ea
non subijcio.

DISPUTATIO XLVI.

De Infinito.

in infinito, ut
res, ita diffi-
cultatem
nullus finis.

Continuo affine est Infinitum, in quo, ut rei,
ita difficultatum nullus est finis, idque in
quamcumque nos partem verterimus, sive
scilicet cum quibusdam Infinitum admittam-
mus, sive cum aliis negemus: utrique enim paribus
fermè argumentis, & suam tuentur sententiam, &
contrariam impugnant.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa Infinitum præmittantur.

I.
Hæc voces,
Æternum,
Immensum,
Infinitum,
varie su-
muntur.

Circa modum loquendi, Notandum, has voces
Æternum, immensum, infinitum, aliquando su-
mi improprie. Æternum itaque, ut supra notavi
d. 37. l. i. n. 4. idem nonnunquam sonat, ac per longum
tempus durans: quo sensu Psalm. 75. v. 5. montes vo-
cantur æterni: & Exod. 15. v. 18. Dominus regnabit in
æternum, & ultra. Immensum etiam sumitur pro
amplo aliquo spatio, latè undiq; diffuso. Sic æquor
dicitur immensum. Nonnunquam etiam idem sonat
ac magnus, seu ingens: sic dici solet immensus labor,
immensus dolor &c. Infinitum similiter improprie
vocatur id quod est magno numero: sic Eccles. 1.
v. 15. dicitur, Stultorum infinitus est numerus. Sic in
vulgari loquendi modo hominem divitem posside-
re dicimus infinitam vim auri, aut argenti: & sic
de cæteris. Hæc de modo loquendi.

II.
Punctum est
infinitum
negativè.

Notandum 2. Infinitum subinde sumi negativè:
quo sensu punctum seu indivisibile mathematicum
dici solet infinitum, quod nullos habeat fines, cum
nullam habeat extensionem.

III.
Infinitum in
essentia est
solum Deus.

Infinitum proprie sumptum, vel est infinitum
simpliciter, vel secundum quid: infinitum simplici-
ter est infinitum in essentia, huiusmodi autem est
solus Deus, cujus proinde proprietates omnes, ut
Omnipotentia, Scientia &c. sunt etiam simpliciter
infinitæ, cum proprietates consequantur essentiam.
Unde dici solet Deus simpliciter infinitus in omni
genere entis, quod scilicet rerum omnium perfe-
ctiones in se infinitis perfectiori modo contineat.
Alia ergo infinita vocantur cum addito, seu cum
particula diminutive, nempe, in uno genere, ut in
magnitudine, similitudine &c. quæ tamen non sunt
infinita simpliciter, quia aliunde multas habent
imperfectiones sibi limitationem afferentes. De his
ergo infinitis, utrum sint possibilia necne, hic in
particulari discutiendum.

IV.
Infinitum
categorematicum
est, quod actu
habet in se in-
finitudinem, ut
linea in infinita
protenfa. Infinitum
Syncategorematicum
est, quod actu
quidem non est
infinitum, sed
semper ei addi
plus & plus potest
in infinitum, &
sine fine fieri
additio: sicut
plures & plures
creare potest
Deus homines,
vel Angelos in
infinitum. Infinitum
Syncategorematicè,
est simpliciter
finitum, & in-
finitum solum in
potentia, dicit
enim posse plures
& plures determinatæ
& lig-
nabilis quantitatis
partes superaddi in
infinitum.

V.
Ubi notandum,
in omni infinito
reperi in-
finitas: unde sicut
numerus finitus com-
poni-

tur ex unitatibus finitis, ita numerus infinitus (si fas
sit vocare numerum quod numerari non potest) in-
finito sumitur ex infinitatibus. Ratio à priori est, quia
finitum ad infinitum finitum non facit infinitum; ergo si de-
tur infinitum e.g. in multitudine, seu infinitæ uni-
tates, sunt etiam infinitæ dualitates, infinitæ deca-
des, chiliades, myriades, &c. cum nullæ finitæ duali-
tates, decades, &c. constituent infinitas unitates,
Linea etiam infinita, si dividatur in medio in duas
partes, utraque pars erit infinita.

Infinitum definitur ab Aristot. hic l. 3. c. 7. *Infini-
tum est, cuius aliquid semper est extra*: ita scilicet, ut
quibuscunque partibus, vel perfectionibus deter-
minatis acceptis, semper restent aliæ similes acci-
piendæ, saltem in quovis finito tempore. Alij hoc
modo illud definiunt: *Infinitum est, quod recessione
successiva exhaustiri, & pertransiri non potest*. Quæ
definitio explicari debet juxta præcedentem.

Solum addendum, licet formaliter, seu in ratione
infiniti, unum infinitum non possit esse majus alio,
cum infinita omnia quæ talia, sint æqualia, id est,
æqualiter infinita, seu unum tam infinitum, quam
aliud: materialiter tamen non repugnare ut unum
infinitum sit majus alio: primò enim si Deus crearet
infinitos homines, negare nemo potest creatos esse
plures digitos, & capillos quam homines. Secundò,
omne totum est majus sua parte: sed inter infinita,
alia sunt tota, alia partes, cum quavis linea infinita
dividi possit in duas partes, ergo. Tercio, quidni po-
test Deus producere plures res unius generis quam
alterius? ut si crearet infinitos Angelos, quorum
singuli tenerent duos aut tres lapides, tunc plures
essent lapides, quam Angeli.

Si tamen infinitum habeat omnem extensionem
possibilem in eo genere, in quo est infinitum, ut li-
moles aliqua corporea in immensum undique dif-
funderetur, ita ut secundum aliquam sui partem
esset ubiq; tunc non posset in illo genere dari aliud
infinitum majus alio. Idè est de infinito duratio-
nis: licet enim secundum multos in duratione possit
unum infinitum, præsertim à parte antè esse majus
alio; si tamen habeat omnem latitudinem possibi-
lem in eo genere, non potest dari aliud majus eo:
unde si quid sit æternum à parte antè, non potest
aliquid à parte antè esse duratione majus illo, sed
solum æquale; cum in æternitate non sit majus aut
minus, prius aut posterius, ut supra vidimus d. 39.
scet. 3. n. 6.

SECTIO II.

Utrum creaturae possibiles sint infinitæ.

Conclusio: creature possibiles non sunt tantum
finitæ, sed infinitæ, id est, non est assignabilis
certus aliquis numerus creaturarum, ultra quem
aliæ & aliæ existere nequeant in infinito. Ratio est
primò, quia nullum est fundamentum, cur certus
aliquis numerus vel diversarum specierum, vel in-
dividuum statuat, ultra quem addi aliæ & aliæ
species & individua non possint. Conf. quæ proba-
bilitate

In quolibet
infinito sunt
infinitas in-
finita.

Finitum ad
dum finitum
non facit in-
finitum.

VI.
Quo modo
definitur
infinitum.

VII.
Unum infini-
tum non
formaliter,
sed materia-
liter esse potest
majus alio.

si Deus crea-
ret infinitos
homines, plu-
res essent di-
gitus, quam
homines.

VIII.
Infinito ha-
bente omnem
extensionem
possibilem non
potest dari
majus.

I.
Numerus
creaturarum
possibilium
non est finitus.